Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35145
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

uxor mea. et ego non vir eius. Tu Auferat fornicationes suas a facie sua et adultia sua de medio uberum suorum. ne forte expoliem eam nudam et statuam eam sicut in diem natiuitatis suae. Et ponam deserta eam quasi solitudinem. et statuam eam uelut terram in uiam. et interficiam eam sitiendo. Et filios illius non miserebor. Feria. iiij.
Quia filij fornicationum sunt quia fornicata est mater eorum. confusa est quae concepit eos. Quia dixit. vadam post amatores meos qui dant panem mihi et aquas meas. lanam meam. et linum meum. oleum meum et potum meum. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis. et sepiam eam maceria. et semitas suas non inueniet. Et sequetur amatores suos et apprehendet eos et quaeret eos et non inueniet. Et dicet. vadam ad virum meum priorem. quia bonum erat mihi tunc magis quam nunc. Et haec nesciuit quia ego dedi ei frumentum vi-